



Disputatio juridica de jure praediatorio

<https://hdl.handle.net/1874/341901>

7.

D I S S E R T A T I O
DE
JURE PRAEDIATORIO,

O V A M,
FAVENTE D E O T E R O P T . T E R M A X .
Auctoritate Magnifici Rectoris,

D. JOANNIS LUYTS,

Philosophiae Doctoris, ejusdemque Facultatis in Inclytâ Academiâ
Ultrajectinâ Professoris Ordinarii ,

N E C N O N

Amplissimi Senatus Academicci consensu, & Nobilissimae
Facultatis JURIDICAE Decreto,

P R O G R A D U D O C T O R I S ,
Summisque in U T R O Q U E J U R E honoribus
consequendis.

Publico examini subjicio
THEODORUS GEORGIUS GRAEVUS , ULTRAJECT.
A. D. 26. Aprilis, hora locoque solitis.



T R A J E C T I ad R H E N U M ,

Ex Officinâ FRANCISCI HALMA, Academiæ
Typographi, c̄lo Ioc LXXXVIII.

О Т А Т Й А З И Д
О Т Г А С Т А Г Р О

и м о с о
зимает, то лето да втина,

и в селе, и в селе, и в селе,

и в селе, и в селе, и в селе,

и в селе, и в селе, и в селе,

и в селе, и в селе, и в селе,

и в селе, и в селе, и в селе,

и в селе, и в селе, и в селе,

и в селе, и в селе, и в селе,

и в селе, и в селе, и в селе,

и в селе, и в селе, и в селе,

и в селе, и в селе, и в селе,

и в селе, и в селе, и в селе,

и в селе, и в селе, и в селе,

и в селе, и в селе, и в селе,

и в селе, и в селе, и в селе,



СИНИЙ ЯЗЫЦЕВАТЬ

И ОБНОВЛЯЮЩАЯСЯ НАМЛАДОСТЬ

D I S S E R T A T I O

D E

JURE PRAEDIATORIO.

C A P U T I.

I.



Uamvis in antiquis Juris Civilis Romanorum libris nulla mentio fiat juris praediatorii, res tamen ipsa nota est. Verum, ut augurari libet, credo Tribonianum, sacratissimi nostri Imperatoris Justiniani amicum hanc vocem, cuius usus tum obsoleverat, e Jurisconsultorum illis, qua coagmentarat, fragmentis ex terminasse,

& pro illa aliam captui & consuetudini accommodatam istius saeculi supposuisse: uti *vades*, *sponsores*, *ad promissores*, *fide promissores*, *fidejussores*, *receptores*, qui certis notis rebusque, & spondendi formulis distinguebantur apud veteres Jurisconsultos, unica *fidejussorum* appellatione voluit contineri, ceteris omnibus aboleatis, licet nonnunquam distinctae haec voces reperiantur in Pandectis. Dederat enim ei potestatem Justinianus, ut antiquorum prudentium, libros ad jus Romanum pertinentes & legeret & elimaret, exque his colligeret hoc legum Romanarum corpus, quod superest, quod unum pro omnibus sufficeret. *l. i. p. 4. Cod. de Veteri jure enucleando.* Veteribus vero Jctis & tribunalibus tam republica florente, quam sub primis imperatoribus juris praediatorii appellatio fuit notissima. Meminit ejus tanquam rei tritiae & perulgatae Cicero pro Balbo. *Etenim Q. Scaevola ille augur, cum de jure praediatorio consulteretur, homo juris peritissimus, consultores suos non nunquam ad Furium & Casselium rejiciebat.* Hi enim optime hoc jus callebant, teste Valerio Maximo hisce verbis: *Q. Scaevola legum clarissimus. & certissimus vates, quotiescumque de jure praediatorio consulebatur, ad Furium & Casselium,*

A 2

quia

quia huic scientiae dediti erant, consultores rejiciebat. Meminit & legis praediatoriae Suetonius in vita Tiberii Claudi Caesaris cap.

IX. *Postremo etiam septentrum octogies pro introitu novi sacerdotii coetus impendere, ad eas rei familiaris angustias decidit, ut cum obligatam aerario fidem liberare non posset, in vacuum lege praediatoria venalis pependerit sub edicto praefectorum.* Praediatores commemorantur etiam in nostro Jure. Causus enim in libro ad dictum Praetoris Urbani de praediatoribus scribit, ut videtur est in lege 54. *D. de juredotum.*

II. Nunc videndum quid sit jus praediatorium. Praediatorium jus erat, quod agebat de praediis, hoc est de bonis publico seu fisco obligatis, & de praediatoribus, hoc est hominibus, quorum bona publico erant oppignorata. Hinc & lex praediatoria, quae de iisdem rebus & hominibus erat lata. Dictum autem est *jus praediatorium*, a *praediis*, *praedia* vero a *praedibus*. Praes est manceps vel redemptor, qui aliquid publice faciendum praebendumve conduxerat, dein & sponsor, quem pro se populo dedit, eodem quoque nomine appellabatur. Festus: *Manceps dicitur qui quid a populo emit, conductive, quia manu sublata significat se auctorem emptionis esse, qui idem praes dicitur, quia tam debet praestare populo quod promisit, quam is qui pro eo praes factus est.* & apud breviatorem Festi. *Praes est is, qui populo se obligat, interrogatusque a magistratu, si praes sit, ille respondet, praes.* Varro lib. 5. de L. L. *Sponsor & praes, & vas, neque iidem, neque a quibus ii, sed dissimiles.* Itaque praes qui a magistratu interrogatus in publicum, an praes esset. (ut recte ad Festum emendavit Jos. Scaliger sui temporis omnium mortalium doctissimus) *A quo & cum respondet, dicitur praes.* Exempli gratia: qui se obligat pro eo, qui vectigal conducebat, is proprius dicebatur *praes*, Ausonius

Quis subit poenam capitali judicio? Vas.

Quis cum lis fuerit nummaria, quis dabitur? praes.

Sub praedes olim fuerunt, qui pro ipsis prædibus fidejubebant; quorum mentio apud Gellium lib. 16. cap. 10. inter juris antiqui & antiquati obsoleta jam illo tempore vocabula. *Hic ab Ulpiano vocan-*

vocantur *sequentes*, vel *secundi fidejussores*. lib. 22. ad editum.

III. Rem ipsam nemo cognoscet, ut Plato ait, nisi verba teat, & quae sit earum vis ac notio: & parum est jus nosse, nisi prius sciamus, quid juris vocabulum velit, & unde oriatur, ut dicit Ulpianus libro i Institutionum. Hinc & indagandum, quid proprie praes, & unde sic dictus. *Praes* est, si Salmatio Phoenici eruditorum credimus in libro de modo usurarum cap. 16. quasi *prae aut pro aēs*, quod proprie significat, idoneus, locuples, ὁ ἐν χρήμασι οὐ αἰχμητής, sicut *affiduum* quoque pro locuplete, & idoneo veteres Grammatici dictum volunt, & ipse Cicero in Topica, ab, *asse dando*, id est, *aere*. Ideo autem sponsores publice aliquid conductorum dictos esse praedes, quia tales præcipue eligerentur, qui in publicum sponderent. Inde *praes praedis* inflecti, pro *praes praeris*, quia haec duae litterae in vicem saepe permutantur. Sed mihi Varronis sententia potior est, quam ex loco modo laudato licet cognoscere. Nim cum conductor dicere Titum pro se spondere, Titius a magistratu publicum locante vocatur, num *praes esset*, hoc est, *praesens esset* isque respondebat *praes sc. sum*, hoc est, *praesens sum*. *Praes esse* enim idem est, quod *praesentem esse*. Hinc est *praefeo*. Inde *praefeo sum* est *praesens sum*. Falsum quoque est quod de veriverbio & significatione τέλος *affidui* veteres tradiderunt, non ab *asse dando* dicti sunt cives *affidui*, sed ab *affidendo*. Veteribus enim *affidui* dicuntur, qui semper *praefeo* erant ad opus aliquod faciendum, ut apud Varronem de r. r. cap. 145. *affidui homines quinquaginta praebeto* i.e. qui assidue *praefeo* sunt ad opus. & *affiditas* est *praesentia quotidiana* de qua vide Ciceron. Orat. pro Plancio cap. 26. & 27. Hinc in leg. xii. tab. *affidui cives* sunt, qui quotidie *praefeo* erant in foro, ut reip. amicis, & clientibus navarent operam, qui erant locupletissimi cives. His opponuntur *desides*, a desidendo, proprie qui non *praefeo* sunt unde desiduus, & desidia.

IV. A *praede praedium*. Praedia proprie sunt bona, quae populo seu reip. pignori sunt data vel a mancipe aut publicano, vel a *praede*, seu sponsore mancipes, aut publicani. *Sunt autem praedes*, ut scribit

6 D I S S E R T A T I O

Varro, & *praedia*, a praestando dicta, quod ea pignoridata publico, ni mancipes fidem praestent. Etymologia doctis non probatur, quid tamen *praedia* sint proprie recte docet Varro. Hinc solemnis formula in rep. Romana, de mancipibus, ut apud Ciceronem in tertia Verrina: *Praedibus & praediis caverere* i.e. fidejussoribus, & pignoribus, seu hypothecis. & Liv. 32, ubi agit de danda ex aerario pecunia mutua, similiter ait, *praedibus & praediis caverendum esse populo*. Et in veteri in scriptione Neapolitana apud Gruterum. p. 207. LEX. PAKIETI. FACIENDA. IN. AREA. QUAE. EST. ANTE. AEDEM. SERAPIS. TRANS. VIAM. QUI. REDEM. MERIT. PRAEDES. DATO. PRAEDIAQUE. SUBSIGNATO. DUUM. VIRUM. ARBITRATU. Hinc & *praedia* aliquando sumuntur pro quovis pignore vel hypotheca, uti nos docet Papinianus l. 32. D. de negot. gest. Fidejussor imperitia lapsus, alterius quoque contractus, qui personam ejus non contingebat pignora vel hypothecas suscepit, & utramque pecuniam creditori solvit, existimans in demittari suae confusis praediis consuli posse. Confusis praediis i.e. dissolutis pignoribus, vel ex tinctis hypothecis. Nam sine iis existimat fidejussor satis sibi esse praesidii in actione mandati, & si non id solum solvisset, pro quo inter venerat: sed & aliud, quod debebatur, & pro quo etiam pignus vel hypotheca contracta fuerat. Posterioribus scriptoribus *praedia* dicta sunt bona *praedia*. Asconius. Bona *praedia* dicuntur bona satisfactionibus obnoxia, sive sint in mancipiis, sive in pecunia numerata: *praedia* vero domus, agri. Quamvis in hoc falli putem Asconium deceptum sui temporis loquendi consuetudine. Nam *praedia* proprie quaevis pignora reip. oppignorata notant, sive sit pecunia, sive mancipia, sive agri & domus. Quia vero res immobiles magis idoneae sunt ad fidem præstandam, quam mobiles, inde per excellentiam sic dictae sunt res soli, sive immobiles, proprie quidem quae reip. pignori erant datae, deinde quaevis possessiones immobiles, quamvis publico non essent ob noxae. Inde *praedia rustica & urbana*, si verum & primum originem vocis species, *praedia* sunt praedium bona sive per praedes intelligentias ipsos redemptores, ut superius ex Festo vidimus, sive fidejussores. Nam qui publicum emebant, opusve conducebant, dabant

dabant praedes, fidejussores, & praedia, hoc est, pignora, res soli.

V. Sicut praedium est res reip. pignori data, hypotheca, sic praediatus est, qui publico obligatus est, sive suo nomine datis praediis, sive alieno tanquam praes, cuius & bona reip. obligata erant. *Glossae Philoxeni* : *Praediatus*, ὁπες φόρα ἐνδεσμένος. Hinc *jus praediatorum*, & *lex praediatoria*, qua cattum fuit, si praedes qui se obligaverant pro publicanis, aut redemptoribus publicorum operum non solverent, aut solvendo non essent, bona eorum qua mobilia, qua immobilia, venderentur. Nec vero redemptores publici *praediati* tantum dicti, sed & qui a publico aerario, vel republica pecuniam mutuati fuerant, praediis, vel praedibus datis. *Suet. in Cland. cap. ix. Praediator dicebatur*, qui prædia publico obligata & proscripta, vel bona prædia emebat. *Cic. lib. xi. ep. xiv. ad Attic.* neque enim minus, ut scribis, procuratores Cornificii, & Appulejum praediatores videbis, i.e. qui solet emere prædia reip. oppignorata. Idem epist. xvii. cod. lib. cod. *Etsi reus locuples est, & Appulejus praediator liberatis.* *Glossae Philoxeni* : *praediator*, ὁντὸς ὑπερχόρτων. Sic praemiator qui praemium petit & aufert. Hinc & pro prædone nocturno, nocturnus praemiator veteri Comico, qui, ut ait Tibullus *raptæ præmia veste petit.*

CAPUT. II.

I. **H**isce expositis, series ordinis nos eo deduxit, ut videamus quorum bona reip. vel fisco oppignorata sint. Si quis prædia vel alias res a fisco emit, illius bona fisco obligata sunt, cum fiscus in rebus debitorum jus habeat. *I. 46. p. 3. D. de jure fisci.* Qui enim cum fisco contrahit, ejus bona tacite fisco oppignorata, proque tributorum pensionibus obnoxia sunt. *I. 2. Cod. in quib. caus. pign. vel hypot.* Aliae vero civitates indebitorum bonis, simile fisco jus non habent: extra quam, si id singulariter vel a principe impetrarint, vel pacto quæsierint. *I. 10. D. ad municip.* *I. 2. Cod. de jure reip.* Quod enim dicitur reimp. creditricem omnibus chirographariis creditoribus præferri

8 D I S S E R T A T I O

l. 38. p. 1. D. de privileg. credit. ad reip. modo Romanae debitores pertinere, consensu jam eruditorum receptum est: ut cum jus civile detracto civitatis nominis dicimus, Romanum intelligitur.
P. 2. Inst. de jur. nat. gent. & civil.

II. Nec tantum eorum, qui res ad fiscum aut remp. Rom. pertinentes, bona fisco erant pignori obligata, sed & eorum, qui vectigalia publica fluminum, portuum, hortorum, fodinarum, agrorum conduxerant. Locabantur enim haec publice a Censoribus olim, postea vero nomine imperatorum ab eis, quibus hoc Imperator praeceperat. Nam aerarii & fisci quoque debitores sunt, & fiscus in eorum bonis tacitam hypothecam habet. *d. l. 46. p. 3. D. de jure fisci. & l. 2. Cod. in quib. caus. pign. vel hypoth.* Imo & in bona heredum publicanorum tacitam habet fiscus hypothecam. *l. 2. Cod. de hered. action.* & insuper obligantur fisco dare fidejussores idoneos, quorum bona quoque fisco obligata sunt in securitatem vectigalium. aliter non admittendi sunt publicani. *l. 9. D. de publ. & vectig. l. 1. Cod. de locat. praed. civil. vel fiscal.* & non solum obstricti sunt in fortē, si simpliciter fidejussent, sed & impendere usuras. *l. 2. p. penult. D. de administrat. rer. ad civitat. pertin. l. 54. D. locat.* Quod vero fidejussores dare debuerit, hoc jure definitum non est. Nostra in repub. Edictum Praepotentium hujus dioecesis Ordinum requirit in locandis vectigalibus duos fidejussores idoneos *p. 9.* Quam definitionem non putarim ita strictim accipiendam, quia & unus opibus valde excellens, fideique probatae admitti possit. Sane olim Athenis Alcibiades solus admissus est ab Archontibus, cum pro amico quodam suam obstringeret fidem, ringente publicanorum factione, quam talenti adjectione amicus ejus supererat. Teste Plutarcho in vita Alcibiadis. Idonei vero fidejussores qui sint edictum exprimit his verbis: twee goede suffisante hogzen in den Gerechte van Utrecht / gegoet en geseten zynde: id est, *praedes bonos & idoneos, in dioecesi heredea possidentes.* Quibus verbis non solum fidem & facultates requirit, sed & conveniendi facultatem spectat, ut in hac dioecesi res immobiles possideant. Ita enim verba gegoet: geseten / geerst / accipit idiotismus noster: unde sit ut dives rebus mobilibus, vel pecunii numeratis, aut gem-

gemmam pretiosam offerens pignori, non sit idoneus fidejussor. Nulla enim securitas in mobilibus, cum convasari facile possint. Sed nec quisquam speret asina auroonusta in forum adducta effugere se necessitatem satisfactionis posse, quod Cornelium Asinam fecisse legimus, cum sponsores ab eo exigerentur. *Macrob.* lib. 1. satur. cap. 6. edictum enim omnimodo fidejussores exigit, nihilque facilius effluit, & elabitur quam nummi. Quod si conductor idoneos fidejussores dare non possit rursum praedicat praeco, quantoque minoris publicum alii locatum fuerit, tanti ille prior conductor damnatur: si aer non habet corpore luit: si pluris locatum fuit fisco hoc lucrum est. *d. Ed. p. 10.* vide plura ap. D. Matthaceum Oraculum jurisprudentiae, & ornamentum olim nostrae Academiae de auctionibus. *lib. 2.*

Si publicanus alteri locaverit hortos publicos. Fructus quos secundus conductor percepit, tacite obligantur reip. pro mercede, quam manceps promisit, per inde ac si manceps ipse eos percepisset. Idque de mancipe praediorum publicorum Papianus respondit. *l. 53. D. locat. cond.*

III. Qui opera publica sub hasta conducebant, illorum bona quoque oppignorata erant fisco, cum contraxerint cum fisco, vel repub. Erant antem opera publica muri, basilicae, theatra, stadia, portus, thermae, aquaeductus, pontes, forum, macellum, pistrina, bibliothecae, & si qua ejusdem generis alia. *Plin. lib. xxxvi. hist. natur. cap. xv.* Haec opera publica locabant Romae censores, procurabant etiam aediles, *Afcon. III. Verr.* Sartorum tectorum exigendorum cura proprie censoribus datur. *Vernum haec tueri, & procurare cum ceteris item tum pulicis tum privatis operibus aedilium cura est annona.* Hi, autem qui conducebant, dicebantur mancipes, redemptores, ἐργάται, obligabantur reip. ut recte haec curarent & debebant quoque fidejussores dare, quorum bona etiam reip. obnoxia erant. Hic fere eadem observanda sunt, quae in fidejussoribus publicanorum, ut *D. Matthaeus ostendit lib. 2. cap. 10. de auctionibus.*

IV. Aerarii publici praefecti solebant pecuniam ad aerarium pertinentem privatis mutuam sub usuris tradere. Et hi, qui accipiebant, bona sua reip. pro mutuo obligabant, uti constat

ex Liv. lib. xxxii. qui decit eum , qui mutuam acceperit pecuniam a rep., debere praedibus & praediis cavere , sc fortē cum usuris restituturum. Suetonius in vita Claudii clare quoque hoc nos docet *cap. ix. in ejus vita.* Cujus verba , cum hanc thesin egregie illustratura sint , operaे practium duxi hic ea repetere. *Postremo etiam , inquit , sefertium octogies pro introitu novi sacerdotii coactus impendere , ad eas rei familiaris augustias decidit , ut cum obligatam aerario fidem liberare non posset , in vacuum lege praediatoria venalis pependerit sub edictō praefectorum.* Hinc clare patet ejus bona rep. oppignorata fuisse , qui mutuam ab ea acceperit pecuniam , quum eam expedire non posset stato tempore , bona ejus proponebantur a praefectis venalia , sicut hic Claudius dicitur venalis pependisse lege praediatoria , hoc est , Claudii bona , ut Cicero Philippica II. dixit Plancum *praedes ius vendidisse* , hoc est praedia suorum praedium. Frustra autem Claudii bona proscriperant praefecti aerario , quia nullum emptorem inveniebant , quia Claudius erat Patruus Imperatoris Caii Caligulae. Verebantur enim ne aut propter necessitudinem Imperatoris , aut si Claudius ipse ad imperium perveniret , pecuniam hanc perderent , & hoc est , *in vacuum pendere* , nimirum frustra pendere. Sicut apud Senecam *in vacuum immunitari* est frustra. Sic etiam Plinius loquitur , & alii. Respublica tamen in ejus bona jus habebat , quia qui contraxit cum republica , (nim. rep. Romana) illa in ejus bona jus habet *I. 2. Cod. in quib. caus. pign. vel hyprid.* Hinc praeses provinciae jubetur prospicere , ne publicae pecuniae credantur sine pignoribus idoneis vel hypothecis. *I. 33. p. 1. D. de usuris.* Aliæ civitates non habebant in bona debitoris hoc jus , nisi beneficio jus pignoris essent adeptae , neque specialiter cavissent sibi de pignore. *I. 2. Cod. de iure recip.* Multis tamen civitatibus singulari & speciali beneficio indulserunt principes jus pignoris , ut ceteris creditoribus preferentur. Vid. epist. 109. Plin. ad Trajanum , & Trajani rescriptum Ibid. Plinius vocat *ερωτοπαχίας* , Trajanus *privilegium quo ceteris creditoribus anteponuntur.* Aliis vero civitatibus , quae hoc privilegium non habebant , quae pecuniam mutuam crediderant , medium quoddam jus concessit , inter jus pignoris , & privilegium

legum exigendi Constantinus : nim, ut, si civitas mutuam pecuniam crediderit, & debitor solvendo esse desinat : debitoris hujus bona in alios jam translata, quodammodo teneantur, ut possessores saltem pro rata parte rerum, quos possident conveniri possent. *l. 2. Cod. de debitor. civitar.*

V. Videamus nunc quemadmodum eorum, qui reip. nomine vectigalia locant, bona obligata sint. Resp. tacitam in eorum bonis hypothecam habet, neque solum in eorum, verum etiam patris bona pro eis civitati obnoxia sunt, si nim. cum filius familias esset, patre consentiente decurio creatus fuerit. *l. 2. 4. D. ad municip.* neque tantum curatorum bona, sed etiam eorum fidejussorum bona reip. obligata sunt, & quidem in solidum, quia resp. & fiscus utantur privilegio pupillorum. *l. 3. Cod. de jure reip. l. 4. Cod. exquib. cauſſ. major. l. unic. Cod. de ſentent. adverſ. fiſco. lit. retract.* Fidejussores autem a tute pūpillo dati singuli in solidum obligantur. *l. ult. D. rem pup. vel adoleſc. ſalvam fore.* Curatorum quoque operum bona reip. opignorata sunt, quia resp. cum curatoribus operum negotium habet, hi vero cum redemptoribus. *l. 2. p. 1. D. de operib. publ.* porro reip. non ipse tantum curator obligatus est, sed etiam heredem obligatum relinquit. *l. 1. in pr. D. eod. l. 9. p. 1. D. de adm. rer. ad civit. pertin.*

Porro rescriptum est *l. 4. Cod. in quib. cauſſ. pign. tacit. satis notum esse, & ratione conſtitutum, non ſolum bona primipilorum obligari fiſco, ſed & mulierum, quae nuptiae ſunt, dotes.* Hoc ſatis obscurum multis videtur & merito. Certe qua ratione fit conſtitutum, adhuc quaeritur inter doctores. Eſt enim valde novum & singulare exemplum taciti pignoris legitimi, cui quidem & dos ipsa ſummittatur. Scio quidem utilitatem publicam praefeſiendam eſſe privatorum rationibus, ut probetur prius fiſco ſatisfaciendum eſſe ob causam primipuli, quam docti. *l. 3. Cod. de primip.* Sed quae nam illa ratio publica fit, rurſus quaeritur. Primipilus erat primus triariorum, qui & pilani dicebantur, centurio, hoc eſt, primus legionis centurio, ut primilaris, qui eo munere functus erat. Auctor eſt Vigeſius de re militari *lib. 2. cap. 8. cum tanquam caput ſecutum*

esse totius legionis merita & praemia. Itaque & Papinianus minit commodorum ex ratione primipali. *I. 23. D. de adimend. legat.* Sed nihil haec commoda istorum primipilorum ad hanc legem faciunt. Tempore Justiniani & Theodosii primipili erant ministri, qui *solemniter ad pascendos milites ad limitem destinabantur*, ut ait Theodosius *I. 6. de Cobortalibus* & qui ex more omne alimonias militares ad limitem pervehebant. Ibid. *Hinc pastus primipili.* Ibid. *I. 8. 10. & pastus militaris translatio. I. 18. de extraordin. de quibus J. Lipsius lib. 2. de milit. Roman. dial. 8. & Gothofredus in Codicis Theodosiani lib. 7. paratit. nec non in paratit. lib. 8. tit. 4. de cobortalibus.* Non mirum igitur non solum primipilorum bona, sed & dotem uxoris fisco obnoxiam fuisse, quia ad illorum curam pertinuit divisio omnis militaris annonae inter milites distribuenda, quam ut meliore fide erogarent, placuit, ut si aliquid inter verterent, & eo nomine fisco essent obnoxii, fiscus non posset non modo pignoris jure in eorum bona manum injicere, sed et si uxorem habeant, in res dotaes. *d. I. 3. Cod. de principil. I. 7. & 8. Cod. de cobort. princip.* Et ideo credo etiam filiorum bona, etsi haeredes non sunt patrum suorum primipilorum, fisco obnoxia esse *I. 4. Cod. de princip.*

C A P U T III.

I. **H**i omnes, si solvendo esse desinant, conveniebantur legi praediatoria, qua cautum erat, ut eorum bona, qui dissolvere, & fidem suam liberare reip. vel fisco non possent, publice sub hasta venderentur: & hoc est quod ait Suetonius Claudium venalem pependisse sub edicto praefectorum (hoc est publicato edicto praefectorum, ut apud *Juv. Praebere caput domina venale sub hasta*, h. e. proposita hasta.) cum obligatam aerario fidem liberare non posset: non quod non nulli docti volunt, quasi ex veteri jure in caassis fiscalibus servato, qui non solverent, ipsi bonaque eorum venum exponerentur edicto praefectorum aerarii, ut supra vidimus. Edictum praefectorum, quo proscribebantur, bona praediati, affixum erat pilae vel columnæ. Sub eodem

codem autem edicto pendebat funiculo adnexa tabella, quae bona ipsa, qualia essent, ubi sita, & quanta, declarabat. Si itaque bona, quae vendebantur hac lege praediatoria aerario sufficienter ad expungendum nomen aerarii vel fisci, liberabantur praedes eorum, si vero non essent idonea, & non possent exaequare sortem, fidejussores compellabantur, & si non solverent, illorum quoque bona venalia pendeabantur sub edito praefectorum. l. 45. p. 11. *D. de jure fisci.* Potest & fiscus debitoris sui debitorem convenire, si principalis debitor defecerit, vel ex ratione fisci omnia facta liquido probentur, vel ex contractu fisci debitores convenientur. l. 3. p. 8. *D. eod. l. 2. & 4. Cod. Quando fisc. vel privat.* Quid, si Titius, cum esset fisci debitor, Cajo pecuniam sub pignoribus debebat, & solvit ei, potest ne fiscus hanc summam pecuniae repetere? & placet fiscum jure suo utentem, posse hanc Cajo auferre pecuniam. Pignus tamen tum non liberatur, sed manebit Cajo oppignoratum. l. 2. 1. *D. de jure fisci.* Papinianus vero tam libro sexto quam undecimo Responsorum scribit, ita demum publicam auferri pecuniam ei, qui cum erat creditor, in solidum pecuniam accepit, si aut sciebat, cum accipiebat, publicum quoque esse debitorem, aut postea cognovit, antequam consumeret pecuniam. Sed placuit Marciano libro singulari de Delatoribus, omnimodo ei pecuniam auferendam esse, etiamsi ignoravit, cum consumeret. l. 18. p. 10 *D. eod.* Si vero plus servatum est ex bonis debitoris a fisco distractis, hoc refundere debet fiscus debitori suo. l. 45. p. 12. *D. eod.*

II. Quoniam priore capite verba quoque fecimus de publicanis, e re nostra puto esse, ut videamus, quo modo hi pensiones suas seu mercedes in ferre debeant, & quid jus fiscus habeat, si non intulcunt statim temporibus. Est autem definitum varientiam quarundam specierum nomine quinquagesimas secunda pars mercedis solvit singulis hebdomadibus: aliarum duodecima pars singulis mensibus, ut ex ipsorum edictorum in specione cuivis intelligere proclive est. Quod si non fecerit publicanus, bona ejus paratae executioni subjiciuntur: usuras etiam ex mora praestat. l. 10. p. 1. *D. de public. & vestig. Gener. ordin. art. 8.*

Hoc autem idcirco constitutum, quoniam publicani pecunias exactas diutius retinentes decoquere & foro cedere solent. Et moram quidem publicani fisco faciunt re ipsa citra ullam interpellationem: nam & solutio pensionum certum diem habet; dies autem interpellat pro homine: & generaliter mora fisco sit re ipsa, nec ullo loco juris excipiuntur publicani, quin contra nominatim foricarii quoque & publicani reliqui huic regulae subjiciuntur. *l. 17. p. 5. D. de usuris.* Si plures publicani simul conduixerint idem vectigal, singuli in solidum fisco non obligati sunt, sed pro partibus, nisi nominatim id convenerit; Primo, quoniam duo vel plures rei debendi non fiunt, nisi nominatim id convenerit. *l. 11. p. 1. D. de duob. reis.* Deinde quoniam socii quoque alii, si solvendo sint, nec per institorem contraxerint, pro partibus societatis tenentur. *l. 67. D. pro socio.* Ad haec si plures publicani illicite quid exegerint, non singuli duplum, sed omnes partes praestant, si solvendo sint. *l. 6. D. de publ. & vectigal.* Si vero unus solvendo non sit, caeteri onerantur. *d. l. 67. D. pro socio l. 46. p. 11. D. de jure fisci.* Hodie vero singuli in solidum obligati sunt, & conveniri possunt. *p. 9.* Edicti Generalis de locationibus vectigalibus his verbis. Waar mede niens verstaat dat men so wel de Borgen als de Pachters / ells in't besonder en in't geheel daat voorz sal mogen aanspreken ende executeren. id est, *quod ita intelligimus, ut tam praedes, quam conductores singuli in solidum convenire possint.* Quod si publicanus alteri sublocaverit vectigal, an tertium convenire potest fiscus, & placet fiscum tertium convenire posse, si primus solvendo non sit, vel aufugere, utili actione. *l. 1. & seqq. quand. fiscus vel priv. deb.* nam cum universa bona sui conductoris obligata habeat, nomen autem secundi conductoris in bonis primi sit, utique nomen illud persequi poterit, itaque utili actione agere adversus debitorem debitoris sui. *l. 18. D. de pign. act.* Si publicanus deceperit non solutis pensionibus, fiscus regressum habet adversus heredem publicani, *l. 2. Cod. de hered. act.* Quid dicendum, si publicanus bona sua quaedam vendiderit, antequam fisco satis fecisset; dein moritur: dico bona ista in emptorem transire, cum onere pignoris: fiscus igitur & in personam actionem habet adversus heredem, &

solidi

hypoth-

hypothecariam adversus emptorem : sed ante cum herede fiscus agere debet, quam pignora persequi. l. 47. D. de jure fisci. l. 3. p. ult. de administ. rer. ad civ. pert. Novel. 4. cap. 2. in fine. Si neque publicanus neque ejus heres idonei sunt ad satisfaciendum fisco, tum in reliquam debiti partem conveniuntur fidejussores publicani. Sed tum demum, si ante publicanum & ejus heredem excusserit fiscus. l. 3. & seqq. Cod. quand. fisc. vel privat. deb. l. 3. p. 8. D. de jure fisci. Agnoscent vero fidejussores periculum duntaxat ejus temporis, in quod conductio facta est. Itaque si labente quinquennio, triennio, vel anno publicanus idoneus fuerit, deinde facultatibus lapsus sit, periculum hoc non fidejussorum est, sed eorum qui exactionem facere debuerunt. d. l. 3. p. 6. D. de jure fisci. l. 15. D. ad municip. l. 1. Cod. de peric. nom. l. 7. Cod. de locat. Curator si non bene administraverit, quoque a fisco conveniri potest, quia cum curatore resp. negotium habet, nec tantum curator obligatus est, sed etiam heredem obligatum relinquit, ideoque ustriusque bona distrahere potest fiscus, si solvendo non sint, vel non solvant. l. 1. pr. l. 11. p. 1. D. de operib. publ. l. 9. p. 1. D. de admin. rer. ad civit. pertin. Restat, ut quaedam delibemus de cessatione juris praediatorii, vel fisci.

III. Princeps vel ejus nomine locator, conductoribus in primis praestare debet, ut libere conducto uti frui possint, si non praestet, in id quod interest tenetur. l. ult. D. de jure fisci. Quatamen parte, videtur eadem distinctio adhibenda esse, quae adhibetur in persona privati conductoris: ut si fiscus frui non patiatur, vel is, qui a fisco prohiberi poterat, teneatur fiscus, vel curator civitatis conductori in id quod interest: si conductor prohibeatur ab eo, quem fiscus vel civitas prohibere non poterat, non in id quod interest teneatur fiscus, sed pensionem non petat ejus temporis, quo conductor frutus non est. l. 24. p. 4. l. 33. cum seqq. D. locat. Propterea in lege censoria ad scriptum fuit: si qui frui publico publicanus non posset, ne ei fraudi id esset. Itaque si hostis oppresserit civitatem (l. 13. p. 2. D. eod. Cic. in oratione de provinciis consularibus. Qui publico frui non potuit per hostem, hic regitur ipsa lege censoria. Hinc merito Cicero reprehendit Catonem, quod tam Stoice egerit

egerit cum publicanis , cum illis negaverit remissionem , quam jure suo usi equites petierint vastata per Mithridatem Asia , & quod hac negatione equestrem ordinem a senatu sejunxerit , quod postea tantum turbarum excitavit) aut plebs seditione mota imis miscuerit summa , pensio quidem publicanis remittenda est , non etiam praestandum quod amplius eorum interest . Non certe eo nomine adversus civitatem , sed potius adversus seditionis auctores agendum . Hi enim praestare damnum debent , si res aliorum in ea seditione perierint , quemadmodum in personam Gracchi statuit Publius Mucius . *I. 66. D. solvit. matrim.* Quod si legatus populi Romani vel pro consul publicanos afflixerit , aequum est ex aerario pop. Roman. eosdem indemnes servari , ut qui Cicero in orat. de prov. cons. judicavit , cum Gabinius publicanos in Syria vexasset .

IV. Si pestilentia , sterilitas , uredo , & si quae alia vis , cui resisti nequit , quo minus publicanus uti frui potuerit propterea ei remissio facienda est . *Suet. in Caesar. cap. 20. Dio. lib. 38. hist. & Polyb. lib. 6. hist. cap. 15.* dicit senatum , si quae intervenierit calamitas , mercedum parte publicanos relevasse , aut si quis casus impederit , quo minus exitum res haberet , locacionem rescidisse . *I. 15. p. 4. D. locat. cond.* Cessat vero haec remissio , si sterilitas unius anni compensetur ubertate sequentium annorum *d. I. 15.* & si culpa publicani decreverint vestigalia . Rectissime illi remissionem desideranti illud Cassiodori opponimus lib. viii. Formul . *Tu copiam facis , dum ingredientes iuste tractaveris. Avara manus portis claudit , & quem digitos atrahit , navium simul vela concludit.* Merito enim illa mercatores cuncti refugiant , quae sibi dispendio esse cognoscunt . Nostra vero constitutione Ordinum nulla ex causa , qualiscunque ea sit , publicanis remissio praestatur . *Voorzets en sulien de Pachters van de voorschreven Imposten / ofte middelen / geen afflach mogen eischen / in geenderley saeken / hoedanig de selve oock soude mogen wesen.*

V. Si hostis invaserit urbem , omnesque debitores publicos sibi solvere coëgit : mox desperans ejus defensionem , alio conserterit exercitum , vel etiam commissio praelio pellitur : an publi-

publicani qui mercedem hosti inferre coacti fuerint, liberantur? & aequum est eos liberari. l. 27. p. ult. D. de legat. 3. Nam & quivis alius debitor, seu publicus, seu privatus, si jussu victoris solvat ejus militibus, liberatur, si modo non ante viatoriam in mora fuerit. Non nulli tamen boni principes antiqua aerarii reliqua exustis tabulis expunxerunt: ut Augustus, de quo Sueton. in ejus vita cap. 32. *Tabulas veterum aerarii debitorum vel praecipuam calumniandi materiam exussum*. Idem de Hadriano narrat Spartanus, de Aureliano Flavio, Vopiscus, de Theodosio Auson. in Panegyrico, ut ad illum locum notavit o māru Casaubonus. Vix vero dubium inter haec reliqua aerarii & fisci fuisse, tam quae debebantur eis ex poenis, quam ex conductis vestigalibus.

C O R O L L A R I A.

I.

*H*omerus sicut legislatoribus Graecis, Philosophis, Historicis, Chronologis, Geographis in deliciis erat, sic & Romanis Imperatoribus, & Jurisprudentibus, tantaque apud eos ejus auctoritas fuit, ut non semel in *Juris Romani* libris ejus testimonio *Ictorum summorum improbentur sententiae*.

II.

*M*athematicos jure Imperatores damnarunt & urbe Italiaque interdixerunt.

III.

*B*onae fidei possessor tam fructus, qui natura, tam qui industria hominum proveniunt, percipiendo suos facit.

C

IV. Sec-

I V.

Sententia male lata retractari potest.

V.

Psalterium semper infame fuit.

V I.

*Tutor remotus ob dolum infamis fit, ob culpam non
aeque.*

V I I.

*Lex Regia priscis Romanis sub Imperatoribus pri-
morum seculorum fuit in cognita.*

V I I I.

*Invicta & illato in praedium urbanum pignoris
jure tenentur, non in praedium rusticum.*

I X.

Filio ex heredato patris testamento tutor datur.

X.

*Pervulgatum dictum, Ictus erubescit sine lege
loqui falsum est, nec ullius veteris Icti nititur
auctoritate & testimonio.*

X I.

Usucapio non pugnat cum naturali aequitate.

F I N I S.